



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli

Kircher, Heinrich

Coloniæ Agrippinæ, 1676

Verba Apocalypseos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39100

mortis, tu qui solo *vivis nomine* Pastoris. Annuntio tibi, ut exurgas à fide tua & ab Ordinatione Pastoralis mortuis, aded ut, VIGIL ipse ac securus vitæ, CONFIRMES eos qui tuâ ERANT incuriâ MORITÛRI: quod infirmum fuit consolidando, ut habet *Ezechiel* ad Pastores cap. 34. v. 4. Enimverò Episcopum dici te patèris, qui non laboras eminere virtute altiore ut Pastor, formâ gregariorum & mediocritate vulgaris vitæ contentus. (contrà quàm *S. Gregorius* parte 2. curæ Pastoralis cap. 1. *Tantum debet actionem populi actio transcendere Præfulis, quantum distare solet à grege vita pastoris!*) Ubi sunt, OPERA TUA Pastoralia? NON ENIM INVENIO illa PLENA CORAM DEO, in cujus oculis es officio tuo velut mortuus. Exurge sis, & IN MENTEM revoca qualem obligationem ACCEPERIS in impositione manuum, & quid AUDIERIS illïc tibi commendari; hoc SERVA, ET POENITENTIAM AGE de præterito.

Væ Episcopo oblivioso quid sit sui officii accepti: *Ezech. l. c. quod egrotum, non sanastis; quod confractum est, non alligastis; & quod abiectum est, non reduxistis; & quod perierat, non quaesistis, &c.* Præ lato non vigili, sed mortuo, sed cadaveri Præfulis, sed malo odori domus DEI: coram DEO & Angelis ejus non Pastori, sed idolo inanimæ Pastoris, pro quo adoratur à populo & cujus nomen gerit. *Zach, 11. v. 17. O Pastor & Idolum!*

VERBA APOCALYPSEOS.

(Versu 7.) *Et Angelo PHILADELPHIÆ Ecclesiæ scribe: Hæc, dicit Sanctus & Verus, qui habet clavem David: qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit: (v. 8.) Scio opera tua. Ecce dedi coram*

te

Ni ADVIGILAVERIS ut ministerium tuum impleas 2. Tim. 4. 5. veniam ad te Judex horâ inexpectatâ, SICUT FÛR supervenit patrifamilias. PAUCA tamen HABES NOMINA innoxiorum etiam tu in tuo catalogo (Pastoris est enim habere descriptas & nôsse nominatim oves, Joann. 10. v. 3.) QUI NON INQUINAVERUNT VESTIMENTA interioris hominis, quos manet vestitus gloriæ.

3. *Epilogus.* Addit comminationi præcedenti promissionem. si *viceris* somnolentiam tuam, *vestièris* (ut illi tui pauci, QUIA DIGNI SUNT) VESTIMENTIS ALBIS lucentibus, & NON DELEBO NOMEN tuum quod est notatum in LIBRO VITÆ: & CONFITEBOR illud egomet, non ut habeas nomen apud homines tantum, prout hucusque habuisti v. 1. sed CORAM PATRE MEO ET CORAM 7. Spiritibus DEI cæterisque ANGELIS EJUS.

te ostium apertum, quod nemo potest claudere: quia modicam habes virtutem, & servasti verbum meum, & non negasti nomen meum. (v.9.) Ecce dabo de synagoga satana, qui dicunt se Iudaos esse, & non sunt, sed mentiuntur: Ecce faciam illos ut veniant, & adorent ante pedes tuos: & scient quia ego dilexi te. (v.10.) quoniam servasti verbum patientia mea, & ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. (v.11.) Ecce venio cito: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. (v.12.) Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius: & scribam super eum nomen Dei mei, & nomen civitatis Dei mei novæ Ierusalem, quæ descendit de celo à Deo meo, & nomen meum novum. (v.13.) Qui habet aurem, audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.

S. III.

Epistola sexta.

Paraphrasis
Epistolæ
sextæ.
Pars prima.

1. **A**D Episcopum sexti generis : *Exordium.* HÆC DICIT SANCTUS ET VERUS, QUI HABET CLAVEM DAVID; QUI APERIT, ET NEMO CLAUDIT; CLAUDIT, ET NEMO APERIT. quasi dicat: Ego ille per essentiam Sanctus & Verus: à quo omnis est conversio ad sanctitatem & veritatem: cuius est clavis scientiæ atque introitus ad Ecclesiam quæ est domus David, de qua & de clave ejus *Isaias cap. 22. v. 22. dabo, inquit, clavem domus David super humerum ejus; & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.*

Pars secunda.

2. *Narratio.* SCIO OPERA TUA, scientiâ non qualicumque sed approbationis. ECCE ADITUM DEDICORAM TE APERTUM (O-

STIUM ad aggregandos multos per Evangelium in Ecclesiam; Act. 14. v. 26. 1. Cor. 16. v. 9. & 2. Cor. 2. v. 12.) quem NEMO tibi poterit præcludere. quia non confidis in tua potentia, qui MODICAS HABES vires (græcè δύναις,) sed in providentia mea, cuius SERVASTI VERBUM ET NOMEN confessus es viriliter. Maacte tuâ illâ fiduciâ: nam ecce cum auxilio meo convertes obstinatissimos quosq; qui circum te sunt: falsi enim sunt Iudæi hoc est falsi Confessores & ex SYNAGOGA SATANÆ. agedum, hostu pertrahe ad Ecclesiam: hæc siquidem veris constat Judæis in abscondito & in spiritu non litera, Rom. 2. v. 29. FACTAM UT ANTE PEDES TUOS accidant supplices precabundi Baptisma; quo initiati ADO-

ERENT